DE

SCARLATINA ET MORBIS, QUI EAM SEQUUNTUR, ADJECTO INSIGNI GANGRAENAE SCARLATINOSAE EXEMPLO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA

LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IX. M. APRILIS A. MDCCCXLVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS MICHAELIS

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

S. EPHRAIM, med. et chir. Dr., med. pract.
R. SCHALLER, med. et chir. Dd.
A. DE GRAEFE, med. et chir. Cand.

BEROLINI.

TYPIS NIETACKIANIS.

MANIBUS

CAROLI DE GRAEFE,

FAUTORIS QUONDAM BENEVOLENTISSIMI,

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HENRICO S. MICHAELIS,

MEDICO APUD BEROLINENSES PRACTICO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Meditanti mihi de themate, de quo dissertationem scriberem, viribus meis consentaneo, pater meus, qui multos jam per annos artem medicam Berolini exercet, eo mihi subvenit, ut ex observationibus suis uberrimis exemplum mecum communicaret, quod in publicum proferendum haud immerito ei videbatur. Pertinet autem hoc exemplum ad gangraenam oculi, quae scarlatinae quod ad omnia symptomata regularem decursum emensae successit et bulbi mortificationem induxit.

Quo factum est, ut plurima et vetustiorum et recentiorum auctorum scripta perlegerem, sperans fore, ut simile quiddam in iis mihi obviam veniret, quod comparationi inserviret. Sed spes me fefellit, tametsi enim a scriptoribus multi morbi enumerantur, qui scarlatinam excipere solent, ut hydrops, glandularum lymphaticarum affectiones, otitis, periostitis scarlatinosa, coryza, oph-

thalmia scarlatinosa, inflammatio viscerum, morbi nervosi etc. etc., tamen gangraenae nusquam mentio facta est, ita ut hoc exemplum fere solum et unicum in scarlatinae pathologia exstare mihi videatur. Quare, lector benevole, si forte hisce in pagellis, quas indulgentiae tuae commendatas velim, aliquid novi, quantulumcunque sit, te invenisse profitearis, oleum et operam non plane me perdidisse, laetabor!

HISTORIA.

Scarlatinae historia, vel potius nostra hujus morbi cognitio, non multa amplectitur saecula. Etiamsi enim multi scriptores erythema illud pectoris, quod Hippocrates solito ingenio describit, quodque frequentem esse anginae membranaceae comitem dicit, porro pestem illam, quam Thucydides bello Peloponnesiaco Athenis saevientem commemorat, aut ignem sacrum, quem Caelius Aurelianus, si circa collum in cynanche se infuderit, sive in pectore apparuerit, et fuerit perseverans, frequentissime bonum portendere, (Caelii Aureliani acutorum morborum libri III., chronicorum libri V. Ed. A. ab Haller. Lausannae 1774. Vol. I. p. 209) dicit, ad scarlatinam referunt, tamen omnes desunt definitiones accuratiores, quae symptomata illa morbo, quem nunc scarlatinam vocamus, soli vindicent, ita ut certum judicium hac de re ferre non liceat. Exanthema quoque illud, cujus Ingrassias »Rossaliae« nomine mentionem facit, secundum Vogelii (1) et aliorum sententiam,

---

(1) Vogel. Handbuch d. prakt. Arzneiwissenschaft. Thl. 3. S. 248.

Purpurae quam Scarlatinae similius fuisse videtur. Sub finem saeculi decimi septimi primae observationes factae atque appositae sunt, ad morbum spectantes, cui merito Scarlatinae nomen impertiri potest, a Smetio, professore Heidelbergensi (1589), Sennert, professore Wittenbergensi (1619), et hujus genero, Döring, medico Varsoviensi, qui primus veram ejus epidemiam a. 1627 observavit atque huic morbo nomen »morbillos confluentes« dedit. Sequente jam anno (1628) hic morbus Vratislaviae, deinde a. 1642 Lipsiae subito erupit, denuo anno 1652 in Saxonia emersit, et annis 1664 et 1665 Poloniam occupavit, a Schulzio nomine »purpurae malignae infantum« descriptus. Deinde morbus totam fere peragravit Europam, et a multis medicis observatus est, ut a Schroeck (1696) in Germania, a Ramazzini (1692—94) in Italia, a Sydenham (1661—76) in Anglia, qui primus eam scarlet — fever, febrem scarlatinam, nominavit. Sed his epidemiis, quamquam summa cum celeritate et apparuerunt et propagatae sunt, benigna erat indoles, ut e. g. ex Sydenhami verbis elucet, qui mediocrem tantum sanguinis effervescentiam eam esse dicit, quare exitus lethalis morbi, nisi complicationibus provocatus, rarus erat. Anno autem 1740, quo angina maligna aliique morbi typhosi in Europa grassabantur, subito scarlatina quoque emersit, complicationes ex perniciosis illis morbis excepit, et indolem tam periculosam obtinuit, ut v. c. in Saxonia sola inde ab anno 1799 usque ad annum 1803 plus quadraginta millia hominum scarlatinae succubuisse dicantur. Recentiori tempore scarlatinae indoles in genere mitis quidem et levis est,

sed facillime cum complicationibus malignis consociatur, quae lethalem inducunt exitum.

MORBI DEFINITIO.

Scarlatinae natura interna, sicut fere omnium morborum, qui ex contagio quodam originem ducunt, nondum patet, nihil igitur prodest, omnes conjecturas hac de re propositas hic loci enumerare. Symptomata constantia (neglectis, quae ubique inveniuntur, paucis exceptionibus) hanc largiuntur definitionem: Scarlatina exanthema est cutaneum contagiosum, eundem hominem plerumque semel tantum adgrediens, cum febri, angina et capitis doloribus conjunctum, fugacissimum, et summa in morbos secundarios exeundi propensione praeditum.

SCARLATINAE SIMPLICIS DECURSUS.

Scarlatinae simplicis s. benignae decursus in quatuor distinguitur stadia:

Stadium primum, s. prodromorum, s. opportunitatis.

Nisi, quod saepius, praesertim apud infantes accidit, exanthema subito et sine prodromis evidentibus prorumpit, per unum complures dies affectiones morbosae observari solent. Conqueruntur aegroti languorem et lassitudinem, vertiginem, capitis dolores, levem colli rigorem, defectum appetentiae, nauseam; interdum consequitur vomitus. Deinde horripilationes apparent cum aestu arido alternantes; pulsus acceleratus (ictus 120—150) est, sed mollis. Inimica aegrotos occupat anxietas; infantes in somnum inquietum incidunt, ex quo saepissime expergiscuntur; adultos somnus omnino fugit. Cutis

fervet valdeque turgescit, sitis augetur; plerumque alvi obstructio exstat. Peculiares et fere characteristicae faucium affectiones sunt. Oritur levis faucium pruritus, deglutitio impeditur, rubescunt fauces et tonsillae et velum palatinum; lingua sicca et purpurea, nonnunquam muco flavo obtecta est, papillae eriguntur. Haud raro glandulae submaxillares et parotides intumescunt et digitorum tactu dolores efficiunt. Apud alios molestiae anginosae non prius quam cum exanthematis eruptione apparent, apud alios jam primo morbi initio adsunt. — Sed omnes istae affectiones aut plane abesse, aut adeo leves esse possunt, ut homines vix aegrotos sese sentiant, quare de certo et definito hujus stadii spatio inter scriptores non constat.

Stad. secundum s. eruptionis.

Tertio plerumque die inter vehementiores febris exacerbationes tempore vespertino aut nocturno oritur exanthema. Maculae parvae apparent intense rubentes, latae, quae facile in majores, irregulares, non circumscriptas confluunt. Primum faciem et collum obtegunt, inde celeriter super totum corpus diffunduntur. Exanthema, quod nunquam cum doloribus conjunctum est, super cutem non eminet, et digiti pressione colorem rubrum amittit, qui autem celeriter a peripheria ad centrum redit. Febris, etiamsi minuta, tamen non plane desinit, fauciumque affectiones augeri solent. Cutis antea sicca et arida nunc modico obtegitur sudore. — Hoc stadium ad diem quintum aut sextum in genere protrahi solet.

Stad. tertium s. efflorescentiae.

Febris cum exacerbationibus et remissionibus aut

integra persistit, aut diminuitur; si plane deest, semper fere mali ominis id esse solet. Affectiones faucium aut eaedem manent, aut augentur, aut minores fiunt, nunquam enim certam sequuntur normam. Obstructio alvi nondum sublata est; urina parca, rubra et fusca, odorem praebet alkalinum. Exanthema easdem, quas febris, habet exacerbationes et remissiones; cutis enim vespere arida et sicca et laeto rubore insignis, mane pallida et mollior fit. Saepe, si vehementior est febris, sensorii affectiones occurrunt, quae vespertino aut nocturno tempore deliriis se manifestant. — Hujus stadii spatium tribus plerumque continetur diebus.

Stad. quartum s. desquamationis.

Exanthema, postquam per quatuor aut quinque dies floruit, die post eruptionem plerumque septimo aut octavo evanescere solet, quo facto desquamationis stadium incipit. Cujus processus natura ea est, ut corporis epidermis in multas lamellas divisa a cutis superficie dissolvatur et dejiciatur. Lamellae ipsae variae sunt magnitudinis, et si aegroti frictionibus et agitationibus sese iis liberant, vestimenta et pulvinaria quasi furfure obtecta sunt. Desquamatio si regularis est et normalis, a collo humerisque incipit, et eundem deinde persequitur cursum, quem exanthema. Haud raro capilli et ungues aegrotorum communi mutationis processui submittuntur, sicut nonnulli in gravioribus faucium affectionibus membranae quoque mucosae et faucium et partium inferiorum epithelium renovari observarunt. Simul cutis amittit ruborem et aestum siccum ardentem; obtegitur sudore, qui tamen, nisi complicationes adsunt, profusus non fit. Febris desinit et solitas

efficit crises per sudorem, ut jam antea dictum, et per urinam, quae fit hypostatica et sedimentum exhibet criticum, album, flocculentum. Affectiones anginosae sensim decrescunt, faucium partes, quae rubefactae fuerant et intumuerant, pallescunt et subsidunt, eodemque tempore membranae mucosae et glandularum secretiones augentur. Ceterae quoque corporis organorum alterationes solvuntur, lingua antea sicca et ruberrima, apparet humida, albida et mucosa obtecta; appetentia per morbi decursum plane prostrata redit; alvus cietur, et saepe secessus intrant biliosi. — Hoc stadium in genere diutius protrahitur, antecedentibus, et quamquam generatim convalescentiae favet, tamen in eo praecipue complicationes adsunt perniciosissimae, et creberrimum exhibet morborum secundariorum fontem.

SCARLATINAE SPECIES.

Variae sunt rationes, quibus scarlatinae species et distinguuntur et dividuntur, prout aut affectiones cutaneas, aut phaenomena eas vel antecedentia vel comitantia spectamus. Generatim hae afferuntur varietates.

I. Secundum reactionis naturam:

a) Scarlatina synochalis s. inflammatoria, si febris synochalem prae se fert indolem;

b) Scarlatina septica, s. maligna s. putrida s. petechialis, s. typhosa, si febris est putrida et colliquationis signa serius ocius se manifestant;

c) Scarlatina nervosa, s. torpida, s. adynamica, s. asthenica, si febris omnia ostendit torpidae criteria.

II. Secundum exanthematis formam:

a) Scarlatina laevigata, ubi maculae dispersae in unam planitiem rubram confluunt;

b) Scarlatina vesicularis, s. miliaris, ubi vesiculae parvae semiglobosae formantur.

III. Secundum morbi evolutionem:

a) Scarlatina abortiva, si totus morbi decursus intra horas 24—48 absolvitur;

b) Scarlatina sine exanthemate, si exanthematis eruptio plane deficit, omnia autem cetera phaenomena ad Scarlatinam pertinentia observantur.

IV. Secundum complicationes:

Scarlatina anginosa, s. angina maligna scarlatinosa, ubi angina membranacea cum scarlatina consociatur.

AETIOLOGIA.

Praedisponentes scarlatinae causae non exstant, omnes homines ea corripi possunt. Nec aetas, nec corporis constitutio, nec vitae ratio hac in re magni momenti sunt. Quod infantes ei praecipue obnoxii sunt, in eo est positum, quod puerili aetate cutis majorem habet sensibilitatem et vulnerabilitatem. Quare etiam reliqua exanthemata acuta creberrime apud infantes occurrunt. Sunt autem epidemiae, in quibus adulti soli scarlatina corripiuntur, infantes quam maxime integri manent.

Occasionales scarlatinae causae duplicem prae se ferunt naturam. 1. Genesis miasmatica, s. spontanea. Gignitur scarlatina propria tempestatis natura. Crebrae et celeres temperaturae mutationes, ubi perfrigeria frequentissima obveniunt, et origini et propagationi hujus morbi favent. Praecipue apparet scarlatina, si genius epidemicus aut erysipelaceus aut biliosus est; quare

ejus epidemiae tempore vernali et autumnali plerumque existunt, tempestate humida et inconstante.

2) Genesis contagiosa. Oritur scarlatina proprio contagio, quod in ipsis hominibus evolvitur et ab uno ad alterum transfertur.

Hoc contagium gasiforme est, quare per aërem diffunditur et inficit. In scarlatina miliari, ubi vesiculae in cute apparent, liquidum est; vesicularum hujus morbi generis liquor reactionem praebet alcalinam et infectioni maxime inservire videtur. Contagium in deglutitionis organorum membrana mucosa germinare dicitur, quare primum affectiones apparent anginosae. Tempus ad hanc germinationem perficiendam necessarium nondum est constitutum, dies autem sex ad octo sufficere videntur.

Proxima causa plane abdita est, quia contagii naturam penitus ignoramus. Marcus indolem ejus in specifica inflammatione ponit. Goeden scarlatinam formam fundamentalem eorum exanthematum esse judicat, quae in membranis fibrosis aut arteriarum plexibus nidulantur. Wendt scarlatinam non exanthematis adnumerat, sed pro cutis inflammatione habendam esse existimat. Pfeuffer morbum, ait, evolutionis esse, et sedem ejus collocat in corpore cutis papillari.

Withering miasma quoddam, quod praecipue nervos affligat, seque primum in membranam mucosam narium et faucium insinuet, accusat. Auctore Schoenlein scarlatinae contagium magnam offert similitudinem cum eo, quod in boum morbo invenitur, quem paronychiam malignam nominamus. Similis esse videtur ratio quae inter Vaccinam et Variolam intercedit, nam fere semper et scarlatinae et illius morbi epidemiae uno

eodemque tempore grassantur. Quare fieri potest, ut boum morbus, si contagium ad homines transferatur, remedium praebeat praeservativum ad arcendam scarlatinosam infectionem, id quod observationes futurae, ut speramus, plane illustrabunt.

PROGNOSIS.

Scarlatinae prognosis a febris indole, exanthemate, morbi decursu, complicationibus et morbis secundariis pendet. Si febris, quae scarlatinam comitatur, leviter est erethica, prognosin offert bonam, si inflammatoria s. synochica, pejorem, omnino malam, si est torpida s. asthenica. Exanthematis forma, color et decursus regulares, qui supra commemorati sunt, prognosin edunt bonam, pejorem scarlatina laevigata et miliaris, nec non color exanthematis nimis purpureus et lividus. Quod ad decursum, semper mali ominis est, si exanthema subito et uno tempore totum occupat corpus, aut si evanescit repente et deinde revertitur, aut si per longius protrahitur tempus, priusquam intrat desquamatio. Scarlatina simplex, omnis complicationis expers, faustum pollicetur exitum; si cum aliis morbis consociatur, prognosis ab horum morborum natura pendet, et pro eorum majore aut minore gravitate vel melior fit, vel pejor. Morborum secundariorum hydrops ascites facilius et saepius sanatur, quam hydrocephalus, hydrothorax, parotidum intumescentia, coryza, otorrhoea, aut affectiones nervosae.

Lethalis semper sequitur exitus, si subito amaurosis intrat. Aetas et corporis constitutio fere nullius sunt momenti in dirimenda prognosi, nam scarlatina cuique

aetati et omnibus constitutionibus magnum inferre potest periculum, quod plerumque ab universa epidemiarum indole pendet. Ceterum si infantes ab adultis excipiunt contagium, utplurimum non tam vehementer afficiuntur morbo, quam vice versa adulti, si per infantes inficiuntur.

CURATIO.

Recentiori tempore a multis scriptoribus ammonium carbonicum specificum quasi remedium habitum et laudatum est ad impediendam scarlatinae eruptionem. Peart, Strahl, Wilkinson ammonii carbonici drachmas duas Aq. destill. unciis quinque solvebant et alternis horis cochlear minus exhibebant.

Si deglutitio erat impedita, cuique dosi aqua frigida addebatur; si gastricae exstabant affectiones, Calomel quoque in usum vocabant. Etsi multi medici huic methodo assentiuntur, tamen ante omnia varia scarlatinae indoles spectanda est, nec unum remedium omnibus casibus aptum esse existimes.

Si contagium receptum esse suspicamur, emeticum dare licet, aut Extractum Belladonnae, quod ab Hahnemann, Pitschaft, Gumpert et Hufeland commendatur. Secundum Hahnemann extracti belladonnae grana duo solvuntur Aq. destill. drachmis tribus aut quatuor, hujusque mixturae sumuntur guttae VI — VIII. Pitschaft, Gumpert et Hufeland his remediis guttas aliquot spiritus vini rectificati pro dosi addunt. In scarlatina simplici medici minus est mederi, quam providere, ne alterationes regularem morbi decursum deturbent; nam cyclica est ejus natura, et stadiis rite absolutis per

se et naturae ope finitur. Quare potus adhibendi sunt temperantes; si obstructio alvi exstat, cathartica in usum vocanda mitiora, semper tamen diarrhoea vitanda. Si nausea et vomituritiones locum habent, caute emeticum dari potest, nisi congestiones ad cerebrum intrarunt. Vomitus nimius spontaneus remedia requirit antemetica, sedantia, ut pulverem aërophorum, potionem Riveri. In desquamationis stadio diuretica et diaphoretica leviora adhibeantur, ut Liq. Mindereri, Liq. Kali acetici, Ammonium carbonicum. Semper maxime videndum est, ne febris indoles erethistica in nervosam transeat. Si febris inflammatoria scarlatinam comitatur, methodus antiphlogistica in usum vocatur, i. e. venaesectiones et hirudines ad collum, aut tempora, aut pectus, aut abdomen applicandae, aut quibuscunque in corporis partibus inflammationis signa maxime apparent. Ad impugnandas affectiones anginosas utilitatem praestant hirudines, gargarismata ex infuso florum Sambuci et aceto vini, postremo scarificationes, si nimis intumuerunt fauces. Interne Kali nitricum datur; si gastricae exstant complicationes, emetica aut laxantia ex calomelane, prout sordes vel sursum, vel deorsum turgescant.

In desquamationis stadio Liquor Mindereri cum Vino antimonii commendatur. Si febris indoles exstat nervosa, remedia sedantia et derivatoria locum sibi vindicant, ut hirudines, clysmata ex aqua et aceto parata, sinapismi, imprimis si congestiones passivae ad cerebrum aut medullam spinalem inveniuntur; si autem universa morbi natura ad nervosam vergit, aqua oxymuriatica, deinde Valeriana, Camphora, Arnica, Ammonium carbon. in usum vocanda sunt. Magni momenti his in casibus

sunt superfusiones frigidae, a Stieglitz, Spangenberg, Currio commendatae, ut exanthema eliciatur et ardens cutis calor diminuatur. Sed non ubique adhiberi possunt, praecipue vitandae sunt, si congestiones internae exstant, ubi sinapismi aut vesicatoria iis substituuntur, aut secundum Schoenlein superfusiones tepidae, quarum loco Fuchs lotiones ex aceto et aqua chlorata laudat. Si scarlatinae nervosae spasmi associantur, antispasticis opus est, ut Moscho, Castoreo, Zinco. Ad diminuendam anginam gargarismata ex aqua chlorata adhibentur. In septica febris scarlatinae indole hirudines, nisi necessitate urgente, applicari non debent. Adhibendae autem sunt lotiones ex Aceto et aqua chlorata et superfusiones frigidae, aut tepidae. Ad usum internum initio emeticum respondet ex Ipecacuanha, deinde Acida, Chlorum, China cum Acidis mineralibus. Diarrhoea colliquativa, quae haud raro huic morbi varietati supervenit, Alumine, ferri praeparatis, Arnica occurrimus. Angina initio gargarismata requirit ex acido muriatico, Chloro etc. parata; si remanent ulcera, Decoctum cort. peruviani, Tinctura myrrhae adhibenda; si angina simplex in anginam membranaceam vertitur, Cuprum sulphuricum. Si subito evanescit exanthema, quod semper pessimi ominis est, efficacissimis remediis revocandum est. Quare lotiones adhibeantur ex aqua chlorata et aceto, cutis incitetur sinapismis, donec exanthema reverterit. Ad usum internum his in casibus commendatur camphora.

MORBI SECUNDARII.

A. HYDROPS.

Morborum, qui Scarlatinam excipiunt, creberrimas

esse hydropsias, inter omnes scriptores constat; imo fuerunt epidemiae, in quibus nemo fere exanthemate correptus hydropem effugeret. Hydrops aut Anasarca aut Ascites est, aut uterque; apud aetate minores ejus locum saepe hydrothorax, et apud infantes hydrocephalus tenent, qui pejoris sunt ominis. Plerumque hydropis hac ex causa orti decursus est rapidus, ejusque introitus his nuntiatur affectionibus: Desquamatio restringitur, desinit, aut omnino non apparet; cutis sicca est, urinae secretio diminuta, vespere febris intrat cum horroribus gravissimis. Urinae qualitas plane mutata est et color fusco-rubicundus. Simul aegroti artuum dedolationem conqueruntur, languidi fiunt, morosi et iracundi; appetentia prosternitur, sitis in genere augetur. Deinde ascites solitis apparet sub symptomatibus. Venter aequabiliter, interdum satis celeriter, plerumque vero tardius, intumescit, tumorque quovis situ corporis mutatur. Elasticitas integumentorum initio exigua est, paullatim vero augetur, percusso abdomine motus aquae manu adversa sentitur. Fossa umbilicalis explanatur et progrediente morbo umbilicus nonnunquam vesiculae instar prominet. Accidit etiam, ut parietes hujus vesiculae quam maxime extenuentur et rumpantur, qui status ascites profluens nominatur. Si venter nimis expansus atque tensus est, aegroti recumbentes spirandi difficultatem sentiunt, quoniam aqua diaphragmatis decursum impedit. Cutis frigidiuscula fit, laxa, sicca. Oedemata simul circa pedum malleolos incipiunt, ad crura, femora, scrotum, labia pudendi, imo ad majorem trunci corporis partem propagantur. Si abdominis integumenta magno oedematis gradu laborant, nonnunquam striae albidae oriuntur

(vitiligo hydropicorum), quae efficiuntur rupturis fasciarum muscularium et infiltratione fluidi seroso — lymphatici. Nonnullis in casibus urina multum albuminis offert, et si hepatis affectio simul exstat, colorem viridescentem. Major aegrotantium pars ita moritur, ut paucis ante mortem diebus peritonitis accedat.

Prognosis.

Faustior est in hydrope ascite praedictio, quam in hydrothorace et hydrocephalo, quia partim viscera abdominis facilius et diutius aquae pressionem sustinent, quam thoracis, partim ipsa medicamenta plus auxilii praestant, fortasse eam ob causam, quod propius ad morbi focum deferuntur, partim denique auxilium palliativum, paracentesis scilicet, multo tutius est, quam in hydrothorace.

Curatio.

Quamdiu Ascites inflammatoriam indolem ostendit, methodo quidem antiphlogistica utendum est, sed plerumque modificata, ne strenuiore antiphlogosi inflammatoria ejus indoles in asthenicam transeat. Quare venaesectio eaque parca in iis modo casibus instituenda est, in quibus dolores topici et febris inflammatoria cum pulsu duro admodum frequente locum habent. Hirudines hisce in casibus necessariae sunt, neque minus Vesicantia. Ad usum internum eligenda sunt Antiphlogistica virtutes diureticas habentia, ut Kali nitricum, Cremor Tartari, Tartarus boraxatus, quae plerumque cum infuso herbae digitalis conjunguntur. Ascites chronicus et atonicus fortiora expostulat hydragoga, quae simul drasticas vires exserunt, quoniam alvi excretiones aquosae nonnunquam crisin perficiunt. Quare adhibenda

sunt Scilla, Gummi Gutti, Colocynthis, Bryonia, Rad. Armoraciae; ubi ingens renum torpor exstat, Oleum Sinapeos aethereum in usum potest vocari. Paracentesis in iis tantum casibus salutaris esse dicitur, si morbus organicus localis abdominis simul exstat; etiamsi sanatio his in casibus non perficitur, tamen aegroti, si punctio tempestive repetitur, per annos vivere possunt.

Si aqua resorpta et evacuata est, cavere oportet, ne morbus fiat recidivus, quem in finem remedia tonica, initio quidem ea, quae secretiones naturales aliquantum sustinent, requiruntur, ut infusum Calami cum spiritu nitrico-aethereo, infusum baccarum Juniperi cum eodem spiritu, tinctura Rhei vinosa, aut sola aut cum aliis remediis. Postea transeundum est ad acida mineralia cum China, Cascarilla etc., denique ad Ferri praeparata.

B. MORBUS BRIGHTII.

Secundum nonnullas observationes hic quoque morbus scarlatinam interdum excipit, et si id rarius accidere dicitur, partim in ea causa versatur, quod utrique morbo multa communia sunt phaenomena. Quare hic liceat, accuratius eum perlustrare. Bright, qui primus hujus morbi mentionem facit, morbum granulosum renum appellavit propter singularem eorum degenerationem. Recentiores vel simpliciter morbum Brightii nominant, vel Albuminuriam vel diabeten albuminosum. Symptomata ejus sunt haec: dolor regionis lumbalis obtusus, vel saltem adaucta ejus sensibilitas, quod symptoma secundum plures initio tandem adesse solet, postea autem evanescit. Constantior esse dicitur dolor premens et molestissimus syncipitis, quem nonnulli a retentione ureae in sanguine derivant. Magni momenti

pulsus est, saepe vere cephalicus, nempe plenus, neque durus neque frequens, interdum solido tardior. Totum corpus habitum induit leucophlegmaticum, et cutis tanta ariditate laborat, ut nulla diaphoretica sudorem eliciant. Sudores copiosi, qui nonnunquam observantur, symptomatici habentur, prognosin ergo meliorem non reddunt. Sitis, ut in hydropsiis, intensa est. Oedema initio fugax, postea permanens, cui tandem Anasarca et Ascites, raro Hydrothorax, superveniunt. Urina in universum multa invenitur, color ejus initio saepe carnis loturae similis, imo saturate — rubicundus, subinde autem varians, in ultimo morbi stadio plerumque pallida est urina. Plus minusve albuminis in ea reperitur et vel coctione vel addito acido nitrico aut muriatico, nec non solutione hydrargyri muriatici corrosivi praecipitatur. Plurimi autem recentiorum contendunt, ne unum quidem dictorum symptomatum esse pathognomonicum.

Aegrotorum hoc morbo mortuorum sectione instituta haec plerumque deprehenduntur: Volumen renum ineunte morbo non mutatum, post mortem fere semper ingens reperitur, quamquam ipse Bright exempla memorat, quibus volumen diminutum inveniatur. Ipsa renum substantia solito densior esse consuevit, color pallidior, vasa sanguifera et urinifera amplificata. Inter substantiam corticalem et medullarem limes non amplius observatur, sed massa tota homogenea; auctore Bright enim in substantia corticali granula oriuntur flavida, quae catervatim posita sensim ad substantiam medullarem procedunt et sic differentiam utriusque substantiae tollunt. Alii tamen hunc statum proprio nomine notant, nempe granulationis renum; morbum Brightii potius effici di-

cunt decompositione et condensatione fibrinae, cujus strata totos renes pertexant et pressione substantiam propriam paulatim mutent vel consumant.

Aetiologia.

Bright causam symptomatum essentialium in illa renum degeneratione collocat. Wolff primum morbi stadium habet inflammatorium, quod demum, si resolutio deficiat, excipiatur degeneratione. Alii, ut Romberg, dyscrasiam supponunt, et mutationem substantiae renalis secundariam esse contendunt. Respectu causarum efficientium nondum certi quidquam constat; rarius hic morbus aggreditur infantes, quandoque tamen scarlatinam excipit. Adultis etiam exanthemata acuta male resoluta, imprimis scarlatina et rubeolae, causam occasionalem exhibent. Praeterea autem metastases rheumaticae ad renes conversae, abusus spirituosorum, diureticorum acrium et aphrodisiacorum, denique perturbationes crisium, quae fiunt per renes.

Prognosis.

Si recens est morbus Brightii, de sanatione saltem palliativa desperandum non est. Experientia enim docet, plures aegrotantes non semel sed saepius omnibus symptomatibus esse liberatos; fateri tamen oportet, plerisque in casibus oriri reversiones. Vera renum degeneratio, qualis hoc in morbo exstat, vix unquam resolvitur, nihilominus autem symptomatum levamen periodicum obtineri potest. Mali ominis sunt hydropsiae, urina maxime albuminosa, corporis macilentia, plerumque enim, si symptomata decrescunt vel periodice evane-

scunt, albumen urinae maxime diminuitur vel plane deficit.

Curatio.

Secundum nonnullos in primo morbi stadio semper antiphlogistica methodo opus est, vel per totum ambitum, vel cum modificatione. Interne primum adhibentur salia temperantia diureticis viribus praedita, ut Kali nitricum, Tartarus depuratus, vel boraxatus, quae cum infuso herbae Digitalis vel radic. Levistici conjungi possunt. Deinde Adstringentia aut Subadstringentia in usum vocantur, ut decoctum foliorum Uvae Ursi cum Acido nitrico, vel Acidum nitricum solum cum aqua et saccharo (pro potu secund. Kr. Hansen). Denique infusum radicis Armoraciae cum cerevisia alba et melle despumato.

C. CORYZA S. BLENNORRHOEA NARIUM.

Haud raro Coryza aut cum Scarlatina consociata est, aut eam excipit. Etsi variae est indolis, tamen fere semper mali ominis, eo magis, quo minores aetate sunt aegroti, quare infantes maxime ei succumbunt. Coryza oritur cum siccitate, plenitudine, tensione partis affectae, oculis subturbidis, languidis, rubellis, suffusis, voce obtusa, nasali, olfactu et gustatu imminutis. Accedunt sternutationes frequentes et molestae, saepe horripilationes, intercurrente passim calore fugaci. Sequitur profluvium copiosum liquoris serosi, calentis, acris, qui ex naribus destillans et muco e faucibus ejecto mixtus, saporem salinum, saepe phosphatis sodae similem linguae impertit. Narium pars ima et labium superius rubescunt et ardent. Interea mucosa illorum nec non ductuum

succorumque lacrymalium membrana interior turget et aëri non minus ad nares aditum, quam lacrymis ad illas descensum praecludit. Devolvuntur hinc per genas lacrymae, et spiritus, nisi adaperto ore, difficulter ducitur. Infantes teneri graviter hoc malo conflictantur. Haud raro malum ad fauces protenditur, quo loco mucus aëre inspirato per somnum in lemas aut crustas exsiccatus irritationem adauget et levem simul inter deglutitionis opus dolorem inducit. Plerumque graviori affectioni accedunt capitis obnubilatio, gravitas aut dolor frontis molestus, non sine febri; symptomata inflammatoria, imprimis horis vespertinis, exhibentur. Aetate provectiores facile sopore tentantur, infantes, ut jam aliquoties observatum est, interdum convulsionibus corripiuntur.

Si coryza ad faustum vergit exitum, morbi decursus plerumque ad septimum usque diem protrahitur. Quo ad finem properante, pro sero pellucido, liquidum paullo spissius, mucosum, tandem genuina lympha coagulabilis, alba, flava, viridis, interdum striis sanguineis mixta, facili negotio emungitur, ac pristina odoris, saporis, spiritusque integritas non sine magno levamine ac ingenii promptioris sensatione restituitur.

Coryzae curatio non multis perficitur remediis, plerumque vires naturae sufficiunt ad dissipanda solita blennorrhoeae symptomata. In primis morbi stadiis hirudinum ad nasum applicationes et Calomelas commendantur; sequentibus stadiis injectiones in cavum narium alii emollientes, alii adstringentes et causticas laudaverunt.

GANGRAENAE SCARLATINOSAE EXEMPLUM.

M., sexaginta tres annos natus, vir validis fibris instructus, optima gaudens constitutione, temperamenti sanguineo-cholerici, qui exceptis infantum morbis semper bona valetudine floruerat, mense Julio a. 1834 angina correptus est. Pater meus, per longum jam tempus aegroto amicus, promte arcessitus fauces, uvulam et tonsillas modice inflammatas invenit cum intenso rubore scarlatinoso, qui totum pectus obtexit. Febris modicae erat gravitatis, pulsus frequentior solito (90) et mollis; corporis temperies, excepto thorace, aestu arido, mediocriter aucta. Aegrotus praecipue impeditam deglutitionem conquerebatur, faucium secretio erat diminuta; urina parca, rubra; alvi obstructio per horas viginti quatuor exstabat. Quum omnes istae affectiones pro scarlatinae symptomatibus a patre haberentur, in lecto detineri eum jussit, ad usum internum saturationem kalinam, pro potu aquam crystallinam, et pro victu jusculum ex aqua paratum praescripsit, alvi obstructione clysmate sublata. Exanthema inde normalem habuit decursum, mox extremitates superiores, deinde abdomen, postremo extremitates inferiores occupans. Desquamatio quoque regularis et furfuracea secuta est. Sub tertiae hebdomadis finem, quum pedes soli desquamationi adhuc obnoxii essent, pater tempore vespertino aegrotum adiit eumque bona convalescentia fruentem reliquit. Vir per multos annos thoraculam laneam nudo corpori indutam gestare consueverat; quam quum morbi causa non mutasset, vehemens dorsi pruritus accessit, quare servo, ut aliam thoraculam

calefaceret imperavit, quam, rejecta priore super indusium corpori induit. Noctem posteram dormiens transegit. Expergefactus exiguum frontis dolorem supra supercilium dextrum sensit, qui paulatim adeo increvit, ut pater in urbe praxin factitans quaereretur. Qui quum venisset, aegrotum cum rubra facie vehementer febricitantem invenit et capitis dolores conquerentem, quos descripsit, tanquam omnia capitis ossa dilapsura essent. Oculi dextri palpebrae immense tumuerant, aestu arido ardebant, et spasmo adeo clausae erant, ut nullo modo palpebra superior ab inferiore diduci posset. Statim venaesectione unciarum XVI facta, hirudines No. XII circa affectum oculum applicatae longum per tempus sanguinem detraxerunt. Insuper infrictio unguenti hydrargyri cinerei instituta est et vicissim sinapismi in cervice, humero, brachio, femore positi. Clysmate ex aqua, oleo et natro sulphurico applicato ad usum internum electuarii lenitivi uncia et Calomel. grana duo alternis horis exhibebantur. Nihilominus omnibus his medicamentis adhibitis dolor magis magisque accrevit et aegrotum ad desperationem adegit. Quare post meridiem venaesectio et hirudinum applicatio repetitae sunt, et sanguis, ut tempore matutino, largam crustam pleuriticam ostendit. Urinae secretio diminuta erat, urina ipsa ruberrima. Sensorii functiones non alteratae erant, neque ullae observabantur systematis nervorum affectiones. Sed secunda quoque venaesectione et omnibus illis medicamentis deinceps adhibitis doloris in fronte et oculo sedem habentis impetus nondum frangebatur. Hora tandem vespertina octava aegrotus patri dolorem diminui coepisse dixit, simul autem affecti late-

ris oculum periisse. Abhinc dolor desiit, ita ut aegrotus per nonnullas noctis horas somno recrearetur. Quum pater aegrotum postero die hora sexta matutina adiret, bulbum oculi dextri in gena positum invenit, et gangraena plane destructum, ita ut singulae bulbi partes omnino non distingui possent. Statim pater oculum mortificatum a nervo optico resecuit, quod aegrotum ne minimo quidem affecit dolore. Febris remissio inceperat et aegrotus magno languore excepto satis commode se habuit; convalescentia quoque celerrime successit, ita ut octo diebus post aeger lectulum relinquere posset.

Hujus gangraenae, quae scarlatinam regularem excepit, causa et origo accurate et certo definiri nequeunt; verisimile autem est, thoraculae mutationem perfrigerium induxisse, unde inflammatio in gangraenam exiens orta sit. Notatu digna autem est celeritas, qua totus processus intra horas duodecim absolvebatur.

VITA.

Natus sum ego, Eduardus Michaelis, Berolini, mense Junio anni MDCCCXXIV., patre Henrico, matre Betty e gente Fraenkel, quam praematura morte ereptam lugeo semperque lugebo. Veteri addictus sum fidei. Primis litterarum elementis domi imbutus, gymnasium Berolinense, cui Friderici Guilelmi nomen est, t. t. Beat. Spilleke directore florens, adii. Maturitatis testimonio munitus almam litterarum universitatem, quae Berolini floret, petii, et a Rectore magnifico Ill. de Raumer in numerum civium academicorum receptus, apud Decanum maxime spectabilem, Ill. Joa. Mueller, nomen sum professus, et medicinae studiosis adscriptus. Hae sunt, quas per quadriennium frequentavi, scholas: Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de pathologia generali et historia medicinae; Ill. E. Mitscherlich de chemia experimentali; Ill. Kunth de botanice; Ill. Schlemm de osteologia; Cel. Werder de logice; Cel. Michelet de historia philosophiae recentioris; Ill. de Hagen de mythologia Germanorum; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Magnus de physice; Ill. Mueller de anatome generali et speciali, comparata et pathologica, physiologia et generationis evolutionisque historia; Ill. Schlemm de splanchnologia et de sensuum organis; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Mitscherlich de materia medica; Beat. Wagner de pathologia et therapia speciali; Ill. Jüngken de chirurgia generali et speciali et corporis humani laesionibus; Ill. Busch de arte obstetricia; Ill. Horn de pathologia et therapia morborum mentis; Ill. Schoenlein de patho-

logia et therapia speciali; Cel. Poggendorff de geographia physica; Cel. Troschel ad artem fascias applicandi et Exp. Angelstein ad operationes ophthalmiatricas me instituerunt.

Artem cadavera rite secandi Ill. Mueller una cum Ill. Schlemm me docuit.

Exercitationes clinicas et policlinicas medicas, chirurgicas, ophthalmiatricas, obstetricias, frequentavi illustrissimorum virorum Wolff, Romberg, Truestedt, Juengken, Dieffenbach, Busch.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago quas possum maximas atque habebo in sempiternum.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Aether sulphuricus per sanguinem non per nervos agit.
2. Scarlatinam periculosiorem in plethoricis et scrophulosis contendimus.
3. Nulla remedia antisyphilitica satis certa exstant praeter hydrargyrum.
4. Nullum erysipelas verum sine gastricismo.
